



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 65. Fratres Mendicantes Episcopi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

§. LXV.

Sæcul. XIII.
A. C. 1299.

Fratres Mendicantes Episcopi.

Papa Bonifacius anno 1295 archiepiscopatum Pisanum Theodorico Rainerio suorum conclavium Præfecto, deinde cum istum creasset Cardinalem, Joanni Polo Nobili Pisano ex Ordine Prædicatorum contulit, ac per Cardinalem Matthæum Aquaspartanum Episcopum Portuensensem consecrato pallium per Cardinalem Diaconum Matthæum Rubrum de Urbinis tradi voluit, ut memorat in litteris, quas dabat 10 Febr. 1299. Exeunte hoc ipse anno alias eidem Archiepiscopo litteras inscripsit, per quas permittebat, ut urbis ac dioceseos Pisanæ Clerus benignum Reipublicæ subsidium ferret.

Etiam ex Ordine Minorum Bonifacius plures hoc anno Præfules evocavit. Archiepiscopi Genuensis Jacobi Varasini mense Junio an. 1298 mortui successorem sibi nominandum reservans, 3 Febr. 1299 constituit Porchettum Spinolam Nobilem Genuensem ex Ordine Minorum, & pariter per Episcopum Portuensensem initiari jussit. Arborensensem seu Oristanicum Sardiniae archiepiscopatum Fratri Alamanno Balneoregino, qui per Romanam provinciam Inquisitor, tum Nuncius in Sicilia fuerat, detulit per diploma 28 Apr. 1299 datum. Sed eodem die illum

Sup. §. 22.

Vading.
1299. n. 3. &
Regest. p. 237

Regest.
p. 238. 239.

Hist. Eccles. Tom. XXII.

F f re-

Sæcul. XIII.
A. C. 1299.

Vading.
1298. n. 4.
Reg. p. 237.

renunciavit suum Vicarium ad exercenda Romæ munia episcopalia, licet ibi adesset Papa: & novus Archiepiscopus has dignitates non diu tenuit, utpote Romæ eodem anno extinctus. Joannem Samosium ejusdem Ordinis ibi præfectum expiationibus, & ad varias legationes adhibitum, dein anno 1298 sedi Rhedonensi impositum, hoc anno 1299 Papa ad Lexovinam transtulit, postquam Collegii electionem infirmaverat. Litteras dabat 3 Febr. Hæc exempla docent, quanto in pretio fuerint hi duo Ordines Prædicatorum Minorumque.

§. LXVI.

Templum Lateranense datur Canonicis secularibus.

Sup. lib. 61.
§. 5. 6.
Moulin. antiq. 4. refl.

Sed Canonicos Regulares haud magis ducebat Papa Bonifacius, quippe quibus ademit patriarchale templum Lateranense, & Canonicos seculares substituit. Abhinc annis ducentis triginta Papa Alexander II hos Canonicos Regulares instituerat, cum concilium an. 1063 Romæ habitum decrevisset, ut Sacerdotes & Diaconi viverent communiter, & sine bonis propriis. A templo suo capturus initium, eo Canonicos Regulares immisit Luca, cujus Episcopus fuerat, e cenobio S. Frigidiani accitos. Atque hæc institutio